



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Manuale Sodalitatis B. Mariae Virginis. siue Exercitium Spirituale Christianae Pietatis

Véron, François

Coloniae Agrippinae, 1505 [i. e. 1605]

4. Adiumenta ad has virtutes obtiene[n]das.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46577](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46577)

 PARS QUINTA.

Adiumenta octo ad has virtutes comparandas.

*Ad Celan-
tiam.*

Sicut sola apud Deum libertas est, ait B. Hieron. non seruire peccatis: ita summa apud Deum est nobilitas, clarum esse virtutibus. Scientia ergo, & omniseruditio, generis & familie splendor, honores & diuitiæ, & quicquid in mundo magnum est & excelsum, magno illi excelsoque Deo, & Angelis eius foetet, si à vera virtute destitutum sit.

Psal. 84.

Quocirca Christianorum omnium prima, & postrema cura, industria, sollicitudo, studium in vna virtutis exercitatione collocari debet: vt nimirum quotidie eant de virtute in virtutem, donec videatur Deus Deorum in Syon. Ea est scientia, ea veritas, quam per coeternam sibi scientiam, Christum Iesum, dedit Deus in salutem plebis suæ: cuius, scilicet beneficio, sine timore, de manu inimicorum nostrorum (dæmonum, & vitiorum) liberati, seruiamus illi omnes in sanctitate & iustitia coram ipso, omnibus diebus vitæ nostræ.

Lut. 1.

Adiumenta autem ad harum virtutum acquisitionem opportuna non pauca sunt. *1. est, maturum earum studium, à primis ipsis quoad*

(quoad fieri potest) annis. Mollis enim & flexibilis adhuc ætas, antequã flagitiis, prauisque moribus corrupta sit, ad virtutem, & omne bonum est aptissima. Propterea propheta Hieremias, ait, inquit viro, cum portauerit iugum Domini ab adolescentia sua.

1. *Adiumentum.*
Maturum virtutis studium.
Ihren. 3.

2. Assidua virtutum exercitatio & cultus. Quocirca quoties datur occasio, (& datur ea sæpè, & propè quotidie) aliquos virtutum harum actus facere Sodales debent, ut longo earum usu, & frequentatione actuum, sensim habitus quidã virtutis comparetur; quẽ consequi & excipere solet oblectatio quædã, & facilitas cuiusq; virtutis exercendæ.

2. *Assidua earum exercitatio.*

3. Usus, & consuetudo bonorum virorũ, quorum exemplis, monitis, & reprehensionibus nonnunquã, ad virtutis perpetuũ studium inflammemur. Ea fuit Sanctorum quotidiana praxis, veluti simulacra quædam spirantia, & actiuosa, proborum virorum, siue Superiorum & magistrorum, siue sibi æqualium, ac etiam inferiorum mores obseruarent, & ad eorum normam suos postea componerent.

3. *Usus, & consuetudo bonorum.*

4. Priuata consuetudo, & usus amici alicuius intimi, virtute & moribus cõspicui, qui sincerus sit, & fidelis, ac egregie in Domino amicus. De quo Spiritus sanctus ait, Amicus fidelis, protectio fortis, qui inuenit

4. *Priuata Consuetudo alicuius amici.*
Eccle. 9.

cum

eum, inuenit thesaurum. Inter duos ergo amicos lex sit & vinculum mutuò sese obseruandi, notandi, admonendi, reprehendendi; ac singulis septimanis præstituto die aliquo sincerè, & candidè aperiendi, si quid præter virtutem & officium in gestu, verbo, opere ab alterutro factum sit, quouis loco, & tempore. Incredibile est, quantæ eius intimæ & sanctæ amicitia vitilitas sit, & voluptas. Tali inter se amoris vinculo nexuque coniuncti fuerunt olim duo illa Orientis lumina, S. Basilius, & Gregorius. 5. Quotidiana sui sub vesperum discussio; quantum scilicet singulis diebus in virtutis operatione vel promouerimus, vel recesserimus.

5. Quotidiana sui profectus discussio.

6. Nouissimorum meditatio.

6. Stimulos mirabiles ad virtutum cultum sufficit crebra Nouissimorum meditatio; vt nimirù quas tunc optabimus virtutes, & earum multiplicata opera, iam nobis tempore ea conquiramus, & amplificemus. Propterea sequenti parte subiicimus de iis aliquid 7 Vitæ Christi, & B. Virginis, Sanctorumq; exempla tanquam perfectæ virtutum omnium ideæ, perpetuò oculis nostris proposita esse debent.

7. Exempla Christi B. Virg. & SS. Obseruanda. 8. Oratio.

8. Denique frequens SS. librorum lectio, verbi Dei auditio, Sacramentorum frequentatio, & oratio, eximia sunt ad virtutes omnes comparandas vel conseruandas præst-

præsidia. Præclara est, & planè aurea beati Thomæ Aquinatis oratio, cuius initium (*Concede mihi misericors, &c.*) ad virtutes propè omnes obtinendas aptissima. Eam tu pete ex Officio B. Virginis, ac si voles, quotidie & verbis, & factis exprime.

Subiiciemus tamen ad singulas virtutes, de quibus supra facta mentio, Dei gratia obtinendas, preces singulas: quibus vtiliter, & opportunè præmittere poteris hymnum *Veni creator*; vel *Veni sancte Spiritus, & emine cælitus, &c.* vel certè, *Ave Maris stella*, ad B. Virginem, vt eius intercessione eas virtutes faciliùs consequi, & exercere possis.

ORATIONES AD IMPETRAN-
dam sapientiam, timoremq; Dei: hu-
militatem, Castitatem, carita-
tem, & cæteras virtutes
accommodata.

Fragilitatem nostram, quæsumus Do- *Ad impe-*
mine, propitius respice, & saporè no- *trandam*
bis æternæ Sapientiæ benignus infun- *Sapiètiã.*
de, vt eius dulcedine melliflua prægustata,
omnia terrena valeamus despiciere, & tibi
summo bono, audenti desiderio iugiter ad-
hærere. Per Dominum, &c.

Da

*Ad S. Deū
timorem.*

DA nobis, quęsumus Domine, sapientia tuę initium, verę iustitię fundamentum, virtutum omnium custodiam, & propugnaculum, sanctum timorę tuum; vt & debilitati nostrę timētes, & iudicia tua pertimescentes, quicquid nos à te, tuąq; gratia diuellere potest fugiamus, vitamque nostram summa solitudine, & circumspectione componamus. Per Dominum nostrum, &c.

Ad humilitatem.

DEus, qui in filij tui humilitate iacentem mundum erexisti; illumque verę humilitatis magistrum nobis esse voluisti; infere, quęsumus, cordibus nostris tantę virtutis amorem, vt omnem vanam nostri complacentiam, omnę mentis tumorem, omnem proprię glorię appetitum, & quicquid interiùs, exteriusve superbiam & vanitatem sapit, despicientes, tua gratia verę humiles facti, in æterna gloria exaltari mereamur. Per eundem Dominum, &c.

*Ad obedię
tiam.*

OMnipotens sempiternę Deus, cui cęli, terra, mare, & omnes creature obediunt, quiq; humano generi ad imitandum Obedię exemplum Saluatorem nostrum carnem sumere, ac tibi vsq; ad mortem Crucis obedire voluisti; concede quęsumus nobis supplicantibus simplicem ac perfectam erga te, & superiores
nostrōs,

nostros, ministros tuos obedientiã; vt omni loco, & tẽpore, tam in arduis, asperisq; rebus, quã facilibus, & iucundis, illorum dictis acquiescamus; velleque ac nolle nostrum cum omni resignatione submittamus, ac tandem ad promissa obedientibus premia feliciter pertingamus. Per eundem Dominum, &c.

Deus, qui vnigeniti tui patientia anti- *Ad patientiam.*
qui hostis contriuiisti superbiam; da nobis, quãsumus, quã idem piẽ pro nobis pertulit dignẽ recolere; sicque exemplo eius nobis aduersantia æquanimiter tolerare. Per eundem Dominum nostrum, &c.

Omnipotens sempiternus Deus, qui per *Ad Sobrietatem.*
continentiam salutarem, & corporibus mederis & mẽtibus, maiestatem tuam supplices exoramus, vt omnia voluptuaria, & superflua refecãtes, deuotio nos sancta lætificet; quatenus terrenis affectibus mitigatis, facilius cœlestia capiamus. Per Dominum, &c.

Deus innocentia restitutor, & amator, qui mundis corde, puritateq; nitentibus animis tui visionem re-promittis, quiq; filij tui, & sacratissime matris eius exemplo celestem castitatis docuisti virtutem, da nobis quãsumus mundum, purum, ac perfectẽ amãtem castitatis spiritũ;

vt refloteat. caro nostra vigore pudicitie,
& sanctimonie nouitate; quo de manu
repta tartari, mentique obsecundans sua,
resurrectionis cum ea gaudium in Ange-
lorum, sanctorumque omnium societate
consequatur. Per eundem Dominum no-
stum, &c.

*Ad mansue-
tudinem.*

DEus, qui sedes ducum superborum de-
struis, & si dere facis mites pro eis; da
nobis illam mansuetudinem, quam
nobis mitis ille Agnus, filius tuus vnigeni-
tus, & verbis ostendit, & factis; vt nulla in
corde nostro amaritudo, nulla in verbis
impatiensia, nulla in operibus vindicta re-
sedeat; sed instar agni mansueti, inter iniu-
rias, & huius vitæ incursum pacificè & quie-
tè æternum tibi seruire valeamus. Per eun-
dem Dominum, &c.

*Ad carita-
tem.*

DEus, qui diligentibus te bona inuisi-
bilia præparasti, infunde cordibus no-
stris inuiolabilem tuæ caritatis affe-
ctum, vt te in omnibus, & super omnia di-
ligentes, promissiones tuas, quæ omne de-
siderium superant, consequamur. Per Do-
minum nostrum, &c.

*Ad mode-
stiam.*

DEus, & creator noster, qui omnia in
numero, pōdere, & mēsurā creasti, tē-
pera ab inutilibus cogitationibus cor
nostrū, affectus animæ moderare, refrena
linguam, appetitiones cohibe, internum
extet-

externumq; hominem totum componet
vt Angelis, & hominibus nostra nota mo-
destia te Deum Patrem, & quem misisti Je-
sum Christum, ac paraclētū Spiritum glo-
rificet, cui gloria & honor in secula seculo-
rum. Amen.

Deus, qui iustificas impium, & nō vis *Ad perse-*
mortem peccatorum; maiestatem *uerantiam,*
tuam suppliciter deprecamur, vt nos
famulos tuos de tua misericordia confidē-
tes cœlesti semper protegas auxilio, & assi-
dua protectione cōserues; vt tibi iugiter fa-
mulentur, nullisq; tentationibus à te sepa-
rentur; sed constanti virtutū exercitio ad
tua promissa currentes, cœlestium bono-
rum facias esse consortes. Per Dominū, &c.

PARS QUINTA.

*Considerationes pulcherrimæ hominis
mentem ad Dei amorem ex-
citantes.*

1. **D**omine mi, ad hoc creasti me, vt a-
mem te: da mihi vt possim facere,
ad quod creasti me.
2. Nimis audax sum ego creatura tam ab-
iecta, quæ petam amorem tam sublimem.
Vellem petere aliud humilius, quod meæ
utilitati par esset: sed quid faciam, quan-
do

P

do